



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

8 Vicarius generalis à capitulo, sede Episcopali vacante, deputatus regulariter habet eandem iurisdictionem, quam Vicarius Episcopi habebat. Fallit id primò in concessione litterarum dimissorialium. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

24. n. 1. de *præb. in nov.* & Concilii Trid. c. 7. *re reform. sess. 7.* quibus fructuum portio non major centum, nec minor quinquaginta scutorum annis singulis, ab Ordinariis locorum est assignanda, nisi auctoritate Apostolica in erectione aliter fuerit assignata, ut statuit Pius V. in *Bull. constitutio 46, qua incipit, Ad exequendum.*

Beneficia autem Vicarias hujusmodi habentes, dicuntur nihilominus curata saltem habitu, Rota *decis. 2. de offic. Vic. in antiquis*, & *Fastol. dub. 25, num. 2.* Felin. in *cap. p. stulasti, num. 1. de rescriptis.*

6 Temporales sunt, † qui Apostolica auctoritate in temporalibus ad regimen Terrarum status ecclesiastici deputantur, Ab. in *dict. §. qui verò, num. 9.* Rom. *conf. 59, num. 2. in fin. & num. 3.* & Felin. in *d. cap. pastoralis, num. 11. de rescriptis.* & etiam qui ad regimen Cathedralium in spiritualibus, & temporalibus ob malam Episcoporum administrationem mittuntur, qui Vicarii Apostolici nominantur.

Vicarii etiam alii dicuntur, qui ab Episcopis cum congrua fructuum portione Rectoribus parochialium ex legitima causa absentibus, suspensis, impeditis, aut inhabilibus deputantur, *cap. pervenit, de appellat. & cap. cum ex eo, de elect. in 6.* Concil. Trid. c. 2. *sess. 6. cap. 5. sess. 7. & c. 6, ubique de reformat. sess. 21.* qui etiam parochiali ecclesia vacante, donec eidem idoneo rectore fuerit provisum, constituuntur, idem Concil. c. 15. *de reformat. sess. 24.*

Foranei Vicarii nuncupantur, qui ad certam partem diocesis sunt deputati, c. 1. in *princip.* & ibi gloss. in *verb. foranei, de offic. ord. in 6.* & *Clement. 2. in fi.* ubi etiam gloss. *de rescriptis:* à quibus appellatur ad Episcopum constituentem, quia non fa-

ciunt unum, & idem consistorium cum Episcopo, ut faciunt Vicarii generales, gloss. in *dict. c. 1. in verb. foranei, de offic. ord. in 6.* non habent cognitionem causarum hæreticæ pravitate, matrimonialium, nec criminalium, quæ Episcoporum examini sunt reservatæ, Conc. Trid. *cap. 20. §. ad hæc, de reformat. sess. 24.* minusque litteras monitoriales, pro occultis, depositis, aut subtractis concedere possunt, sed Episcopi solum, c. 3. *de reformat. sess. 25.* aut Vicarii generales cum sufficienti facultate, qui in aliis casibus censuras possunt etiam promulgare, *cap. 1. & cap. licet, junct. gloss. de offic. Vic. in 6.* Nec illis committitur executio litterarum Apostolicarum, Rebuff. in *prax. benef. de Vic. Episc. num. 4. par. 1.*

Vicarii etiam generales vocantur à Capitulo sede Episcopali vacante deputati, quia † mortuo Episcopo, capitulum in spirituali, & temporalis jurisdictione succedit, *cap. si Episcopus, cap. final. de supplen. neglig. Pralat. cap. unico, de majorit. & obedient. in 6.* & *Graff. decis. aur. c. 15. par. 1. lib. 4. num. mihi 77.* & licet de jure communi non teneatur capitulum constituere Vicarium sede vacante, sed per se posset jurisdictionem exercere Feli. in *cap. cum olim, de majorit. & obedient. num. 4.* tamen hodie ex dispositione sacri Concilii Tridentini intra octo dies constituere tenetur, vel constitutum confirmare, aliàs deputatio illius devolvitur ad Metropolitanum, & si sedes Metropolitana vacet, ad Suffraganeum antiquiorem, vel si Episcopatus sit exemptus, ad Ordinarium viciniorem, *cap. 16. de reformat. sess. 24.*

8 Regulariter † Vicarius à capitulo sede Episcopali vacante deputatus, eandem

L 3 habet

habet jurisdictionem, quam Vicarius Episcopi habebat.

Sed fallit: primò, in litteris dimissoriis, quas licet de jure communi concedere possit, *cap. cum nullus, §. Episcopo, de tempor. ord. in 6.* fuit tamen per sacri Concilii Trid. illi per annum sublata sub pœna suspensionis, & *cap. sub pœna interdicti, cap. 10, sess. 7. & cap. 10, sess. 23, ubique de reformat.*

Secundò fallit in executione litterarum Apostolicarum, quas Vicario generali Episcopi delegatas, Vicarius generalis à capitulo, sede vacante, deputatus exequi non potest. Feder. de Sen. *conf. 30, ante num. 1, versic. suo jure agitur, & Felin. in cap. cum olim, de major. & obed.*

Tertio fallit in collatione beneficiorum, quæ conferre non potest. Abbas *in capit. cum olim, n. 2, eod. tit.* quia illorum dispositio est Episcopo reservata, *cap. unico, §. cum verò, ne sede vacante, in 6. & hodie Sedi Apostolicæ usque ad diem pacificæ possessionis Episcopatus est reservata, per regulas Clementis Papæ VIII. reg. 2.*

Quartò fallit in cognitione causarum Vicario Episcopi delegatarum, quas Vicarius capitularis exequi non potest, quia jurisdictio delegata non transit in capitulum, ut post Archid. *in tractat. de heret. trad. Feder. de Sen. d. conf. 20, ante num. 1, vers. suo jure agitur, consil. 130. in fin. Abb. in cap. cum olim, num. 2. ibi. quintò dubitatur, vers. Episcopo delegato, de major. & obed. conf. 130, in fine. & Dec. in cap. quoniam, Abb. n. 2, de offic. deleg. sed transit in Vicarium generalem successorem, quando delegatio est facta Vicario, uti dignitati non expresse nomine proprio, d. cap. quoniam, Abbas, & ibi post Paul. de Leaz.*

& Card. quos citat, tenet Abbas *num. 10, de offic. delegat.*

Quintò fallit in delegationibus collationum, beneficiorum, dispensationum, absolutionum, monitorialium, & aliarum gratiarum Apostolicarum, quæ sede vacante Episcopis, vel Vicariis vicinioribus committuntur, non autem capitulis, seu Vicariis capitularibus.

Sextò fallit in commissionibus causarum, quæ tantummodo Episcopis, seu eorum Vicariis generalibus, vel iudicibus Synodalibus delegantur, *cap. statutum, de refeript. in 6. & Concil. Trident. cap. 10, de reform. sess. 25. & Sede Episcopali vacante, aliis ordinariis vicinioribus committuntur.*

Septimò fallit in jurisdictione feudali, in qua capitulum non succedit, *gloss. in cap. verum, in ver. questio, de for. compet. & ibi Abb. num. 8, & 9.*

Capitulum enim sede vacante succedit in jurisdictionibus Episcopo de jure communi spectantibus, non autem competentibus de jure accidentali gratioso, & speciali, ut sunt omnes causæ delegatæ, & feudales, Abbas *in d. cap. verum, num. 9, de for. compet. Rom. conf. 506, num. 14. Felin. in cap. cum olim, num. 5, vers. similiter videmus, de majorit. & obed.*

Octavò fallit in irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, in quibus Episcopi, eorumque Vicarii legitima facultate suffulti, possunt dispensare, *d. cap. 6, de reform.*

Nonò fallit in casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, in quibus de gratia speciali ex ejusdem sacri Concilii Trident. disposit. Episcopi, eorumque Vicarii generales absolvere possunt, non autem Vicarii

in à capitulo, sede vacante deputati, ut ibi, liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenient. excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientia gratis absolvere impositâ pœnitentiâ salutari, Concil Trident. cap. 6. sess. 24. de reform.

Decimò fallit in visitatione, quia, licet sede Episcopali vacante capitulum succedat in iure visitandi diœcesina, ut trad. Abb. in cap. cum olim, num. 2. vers. sed in distinc. de major. & obed. tamen non habet jus visitandi monasteria, nec loca exempta, quæ visitat Episcopus, ejusque Vicarius generalis auctoritate Apostolica, Clementin. 2. de st. tu. monachi. Abb. in d. cap. cum olim, nu. 2. vers. quindò dubitatur, & Concil Trident. cap. 8. sess. 7. de reform. & cap. 9. de reform. sess. 24.

Undecimò fallit in correctione, in qua licet capitulum habeat jurisdictionem procedendi, illam habet jure ordinario, & Vicari Episcopi cum facultate sufficienti procedit, omni appellatione remota, ex dispositione facti Concilii Tridentini, ubi inquit, Episcopi, ut aptius, quem regunt populum, possint in officio, atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visitationem, ac morum correctionem subditorum suorum spectant, jus, & potestatem habeant, etiam, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi juxta canonum sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro

subditorum emendatione, ac diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibito, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediatur, aut suspendatur, ut in cap. 10. ead. sess. 24. de reform.

Vicarii, & officiales generales Episcoporum unum, & idem sunt, cap. licet, cap. final. de offic. vic. in 6. & Rot. decis. 2. in addit. num. 2. eod. tit. in nov. & habent jurisdictionem ordinariam, cap. sua, de offic. vic. cap. licet, eodem tit. in 6. Abb. in cap. final. num. 2. de st. le. instrum. Innoc. in cap. sua nobis, de offic. vic. Felin. in rub. de offic. deleg. nu. 4. & Jas. in rub. de offic. ei. nu. 2. coruscantque ex radiis Episcoporum, ita quod Episcopus, & Vicarius representat utrum, & idem tribunal, & consistorium, c. 2. de consuet. in 6. cap. Romana, de app. lib. eod. lib. gloss. antepen. in Clem. 2. de re-script. & Rot. decis. 9. de offic. vic. in antiquis.

Unde inter Episcopum, & Vicarium non datur locus, sed immediatè post Episcopum sedere, accedere, & omnes de capitulo precedere debet, nec potest contraria consuetudo, quæ attendatur, induci, Abb. conf. 21. cum seq. fuit à me questum, per tot. vol. 1. Felin. in rub. de major. & obed. num. 10. circa fin. Staphyl. de mod. & form. impetr. §. transeo nunc. nu. 12. Rot. de offic. vic. dec. 1. nu. 5. in no. & divers. decis. 206. nu. 4. par. 1.

Quamvis autem per creationem Vicarii generalis illi tribuatur ordinaria jurisdictione, hoc procedit, quoad universitatem

cast-